



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Sapientia

Pinamonti, Giovanni Pietro
Segneri, Paolo

Coloniae, Anno M.D.CCVI.

VD18 12664146

Consideratio secunda pro die Lunæ. De circumstantiis peccatum
aggravantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50782](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50782)

CONSIDERATIO II.
PRO DIE LUNÆ.

Circumstantiæ, peccatum
aggravantes.

PUNCTUM I.

Locus.

Peccavimus in conspectu tuo. Esther.

14. 6.

I. **C**ONsidera locum, in quo peccasti. Peccasti quippe Deo præsente, & inspectante: Legem igitur infringis, & adest legislator; rides pœnas, & spectat Judex, conculcas sanguinem, pretium redemptionis tuæ, & videt Redemptor. Amicus esse renuis infinitæ illius Majestatis, idque non clam & verecundè, sed propalam & in faciem præeligens esse mancipium rebellis illius spiritûs, quocum in perniciem Dei conjurasti, ut tolleres coronam de capite ejus: verbo dico, quidquid dici potest horrendum & abominandum: *Peccasti, fecisti mala & potuisti*, Jerem: 3. Quòd si Dæmon impulerit te ad peccandum imposte-
rum,

rum, consilium meum audi, de loco saltem circumspice, quo Deum fallas, aliàs enim, ecquomodo satis animi tibi erit, patrandi in præsentia Dei, peccatorum vindicis, in oculis illius mundissimis; quomodo, inquam, animus tibi erit, patrandi flagitia illa, quæ me præsentem non auderes? aut minus forsitan est peccare inspectante Deo?

PUNCTUM II.

Tempus.

Cum dilexisset suos. Joann. 13. 1.

II. **C**ONSIDERA nunc etiam tempus, quo Deum offendisti. postquam nempe per sacrum baptisma in filium te adoptavit, postquam vitam pro te & sanguinem dedit, quò tu non amplius peccares; Post hæc tantæque motiva ipsum porrò non offendendi, offendisti tamen. Creavit te Deus ex mera sua bonitate, è tot millibus te elegit, qui, si fuissent conditi, ipsum fortè nunquam offendissent: creavit te in patria Christiana, ubi cum materno lacte sanæ fidei doctrinam hausisti, conservat te modò per momenta,
pro-

providet tibi de victu, vestitu; & habitatione; ex nutu ipsius, non tantum res creatæ te inferiores, sed ipsi etiam Angeli, cælestis aulae proceres, tuis allaborant obsequiis; tot tibi insuper immittit salubres animi motiones, tot periculis servat immunem, tot ultrò condonat supplicia, tui causâ omnem profudit sanguinem, suæmet vitæ prodigus; tibi Corpus suum in sanctissimo Eucharistiæ epulo præbet incibum, tibi omnes gratiæ suæ thesauros, tibi æternam paradisi felicitatem destinat, te perpetuo cogitat, te gestat in sinu, lactatque uberibus suis. Atque hoc ipso tempore, quo tot tibi beneficia, quot momenta dispensantur, tu benefactorem tuum omnium maximâ afficis injuriâ, rabidos dentes infigis illis; ut ita dicam, uberibus, quibus vitam fugis. Crediderim ago, feras ipsas rubore ac verecundiâ suffundendas, si illarum quæpiam ingratitude par esset peccatori;

PUNCTUM III.

Adjumenta.

Servire me fecisti in peccatis tuis.

Isaia: 43. 24.

III. **C**ONsidera, quibus adjumentis
 ad peccandum sis usus. Non
 solum peccasti in Dei praesentia, & in-
 ter brachia ipsius, sed etiam suismet
 ipsum beneficiis, tanquam armis, im-
 petere ausus es. Sensus illos, quos a
 Deo accepisti in animae bonum, qui-
 bus rebus occupasti? illos oculos,
 manus illas (ah! sceleratas manus, plus
 rimotum maximorumque ministras
 flagitiorum!) corpus illud, quod Re-
 demptor tuus, toties pavit suomet cot-
 pote, veraque praesentiam beavit, cui
 rei servierunt? largitus est tibi Deus
 voluntatem, capacem amandi sum-
 mum bonum: tu autem, spreto aeter-
 nae vitae fonte, continuis inardescis
 desideris apponendi labra ad cloacam
 luto plenam, spurcitiisque. Dedit tibi
 Deus intellectum, ad cognoscendam
 primam veritatem expeditum, quibus
 autem cogitationibus eum tu excolis?
 nempe

nempe ut nova identidem excogitet
 machinamenta, quibus tam munifi-
 cum donatorem tuum offendas. Quid
 amplius? Imò verò parum adhuc est,
 rebus creatis abuti adversus Deum;
 ipso conditore adversus ipsum abuti-
 mur. *Servire me fecisti in peccatis tuis,
 prabisti mihi laborem in iniquitatibus
 tuis.* Isaia 43. Nempe quia bonus est
 Deus; quia misericors, quia ad iram
 tardus, & parcens super iniquitate,
 quia in peccatorum remedium insti-
 tuit Sacramenta, ideo liberius eum
 offendimus; dicimurque, patrabo hoc
 flagitium, tum deinde rursus exomo-
 logesi abolebo. O rem detestandam!
 non sufficit ergo impiis mortalibus,
 irritare res creatas adversus creato-
 rem, vult insuper, ut ipse ad horren-
 dum sui Decidium concurrat Deus.
Servire facit illum in iniquitatibus suis.

ORATIO.

O Inexhaustum bonitatis pelagus!
 Deus infinitæ Sanctitatis, infini-
 tæ æquitatis, osor peccati infinite!
 Nunquam ita confusio operuit faciem
 meam,

meam, quàm hac horâ, quâ ingrati-
 tudinem meam considero, verè diabo-
 licam. Parùm ergo fuisset, in faciem
 tibi insultare, offendere te tuismet
 gratiis, nisi tecum ipso contra te pug-
 narem? à te, mi Domine, per tuam
 sanctam fidem illustratus? cognovi
 infinitam misericordiam tuam, tu om-
 nem sanguinem effudisti è venis tuis:
 ad parandum mihi lavacrum, tam sa-
 lubre, tam facile in sacro pœnitentiæ
 tribunali; ego autem malitiosus ac
 ingratus, his illustrationibus usus sum
 ad te offendendum liberius, atque
 protervius; tu quantò erga me fuisti
 benignior, tantò ego erga te fui ma-
 lignior & cum remedia mihi reddide-
 ris facilia; hinc ego ansam accepi,
 tanto minore metu te offendendi; me
 ipsum ita animans: sufficit peccata ex
 omologesi expiare, si Deum offendo;
 an verò id Deo placeat, displiceatve,
 meâ parùm refert. O! si vel umbram
 saltem excusationis invenirem, quam
 prætenderem peccatis meis, sed &
 hæc mihi deest. Quis porrò auctor
 mihi

mihi

mihī fuit hujus contra te, mi Deus
perduellionis? an forsan necessitatis
alicujus violentia? at verò tantùm hoc
abest, ut ne illecebra quidem aliqua
fuerit grandis boni, imò nihilum erat,
& minus nihilo, quod me avertit à te
Summo Bono. Non mihī promisit
dæmon, ut tibi olim in deserto, omnia
Regna mundi, si morem ipsi gererem,
sed promisit voluptatulam tam bre-
vem, quæ disparuit velut umbra: pro-
misit delectationem tam sordidam,
cujus ipsas adeò tenebras puderet,
quæque vel sola sui divulgatione aë-
rem esset infectura. Et ego insipiens
ac stolidus ut ex hac putrida cloaca
haurirem, te sprevi, mare immensum
dulcedinis sempiternæ: *Propter quid
irritavit impius Deum, propter quid?*
Psalm. 10. Propter hoc nempe nihi-
lum, quod fuit, tanquam non esset,
propter hoc, flocci habui beneficia
tua, propter hoc modicum & exile,
perdidi gratiam tuam, cuius vel mini-
mam possidere particulam plus valet,
quàm universas habere mundi divi-
tias.

tias; & quod plus est paraſangis infi-
nitis, propter hoc modicum peccavi,
& malum coram te contráque te feci,
Hoc inquam ita eſt, nec inficiari au-
deo: video tamente, Benigniſſime
Salvator mi, apertis brachiis præſto-
lantem me fugientem ad te. Quod ſi
ita eſt, venio, ecce! ad te, allectus amo-
re illius ſummæ ac infinitæ bonitatis,
quæ tamenſi à me toties irritata, nihilo-
minus adhuc ſuffert me, blandéque
invitat, abominor plùs, quàm omne
aliud malum, delicta mea, quibus ve-
lut alter Judas tradidi te inimicis tuis,
deſteſtor ea velut ingritudinis notas
infernalis. Et quamvis fixa menti ſet
ſententia, mutare vitam in melius, ni-
hilominus, cùm meis id viribus effice-
re non poſſim imploro auxilium tu-
um, téque ſupplex rogo per ſancta illa
vulnera, quæ velut linguæ totidem
pro me perorant, per merita Sanguinis
tui per temeripſum, mi Deus, ne per-
mittas, ut ego amplius in nequitia
meæ instrumenta, vertam gratiæ tuæ
argumenta, ſed ut bonitas tua, & re-
me;

media, quæ peccato commisso tam largiter providisti, sint mihi nova incitamenta te amandi, novi stimuli, tibi imposterum fidelius serviendi, Amen.

CONSIDERATIO III.
PRO DIE MARTIS.
PUNCTUM I.

DEUS odit peccatum.

Similiter odio sunt Deo impius & impietas eius, Sapient. 14. 9.

I. **C**ONSIDERA immensum odium, quo Deus peccatum persequitur. Si voluntas eodem motu, quo per affectum amoris conjungit se bono suo, eodem inquam motu, necessariò etiam fugit per affectum odij à malo; dicendum erit, quòd, sicut Deus totus amor est, & amor infinitus, & suæmet bonitatis amor ipsissimus, ita necessariò etiam sit totus quantus odium, & odium infinitum, & odium ipsissimum ac essentielle peccati, quod summè abominatur, velut bonitatè suæ summè contrarium. In unum itaque